



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

VI. Die Vorsteher des Hospitals in Burg erwerben Besitzungen in Drorelo von dem Convente der büßenden Schwestern in Magdeburg, am 10. Januar 1263.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

VI. Die Vorsteher des Hospitals in Burg erwerben Besitzungen in Droxelo von dem Convente der hüßenden Schwestern in Magdeburg, am 10. Januar 1263.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis Amen. Henricus Iudex, Consules totaque Vniuersitas Ciuitatis in Borch — Recognoscimus — nos procuratores domus hospitalis Ciuitatis nostre in Borch Bona illa in Droxelo a Priore totoque Conuentu fororum Penitentium sancte Marie Magdalene in Magdeborch cum omnibus pertinentiis suis, excepto prato, quod soluit eisdem vnum solidum denariorum magdeburgensium in annua pensione, integraliter comparasse, tali tamen tenore apposito, quod procuratores, qui pro tempore fuerint ibidem, memorato conuentui in festo beati Martini omni impedimento cessante ad Curiam earum in Magdeborch duos choros filiginis dent annis singulis et persoluant; Alioquin prefatus Conuentus de nostra licentia et voluntate habebit in eisdem bonis post Octauam beati Martini pignora tollendi liberam facultatem. Preterea sepedictus Conuentus ab Euictione juris Aduocatie siue alterius vexationis cuiuscumque, quod aliquis Contenderet in posterum se habere in bonis iam dictis, vult esse penitus absolutus. Vt autem hic Contractus ratus et stabilis in perpetuum perseueret, presentem cedula[m] conscribi iussimus et Sigilli nostri munimine roborari. Huius rei testes sunt dominus Conradus Dictus thelonarius, dominus Arnoldus insitor, dominus hylas procurator ecclesie sancte Marie virginis, dominus giso pistor, dominus Gadeschalkus procuratores dieti hospitalis. Datum et Actum in Borch in Octaua beati Steffani prothomartiris, Anno domini M^o. CC^o. LXIII, quarto Idus Januarii.

Aus einem alten Copialbuche der Stadt Burg.

VII. Genehmigung des Richters und des Magistrats zu Burg rüchßlich vorstehender Erwerbung.

Viro discreto et honesto domino preposito domus sancte Marie Magdalene totique conuentui in Magdeborch Ciuilis Iudex in Borch, Consules totaque vniuersitas dicte Ciuitatis sue dilectionis cum famulatu plenariam exhibitionem. Vestre significamus discretioni, quod de nostra factum est voluntate siue de consensu nostro, quod procuratores vel prouisores domus hospitalis nostre Emerunt illa bona omnia integraliter, que in Droxelo habetis vel habuistis sicut ad vos pertinebant tali Conditione, quod dicti procuratores vel prouisores nostre domus hospitalis vobis soluent annuatim duos choros filiginis, Ita quod dicti chori quolibet Anno in festo sancti Martini plenarie sint soluti. Alioquin vos domine Prepositę siue nunctii vestri siue procuratores libere ad dictam villam accedatis octo diebus post festum sancti Martini transactis et ibidem pro dictis choris a dictis bonis pignora tolletis vos Asscurando. Et hoc de nostro Consensu ratum et firmum volumus sine omni impedimento liquide obseruari.

Nach einem alten Copialbuche Nr. 157 des Archives der Stadt Burg.